



1676.

1. 2. Koenig, Joh. Adam: De jure finium, ex pandectis  
Talmudicis, Titulo Hammecabbel, aliisque Hebrae-  
orum jurisconsultis eruto. 2 Exmpl.
3. Leiser, Wilhelm: De deposito.
4. Lysen [Leiser], Wich.: De electoratu Bohemiae.
5. Leiser, Wilhelm: De aquae pluviae arcendae  
actione. 2 Exmpl.
7. Martini, Werner Theodor: Oratio panegyrica solennis,  
qua duplex quaestio juris resolvitur.
8. Martini, Joh. Christoph: De jure excusationis tutorum  
et curatorum
9. Naevis, Joh. Carolus: De jure gentium Justinianeo.
10. Naevis, Joh. Carolus: De terminis fatalibus.
11. Merger, Frachim: Disputatio juridica de l. ex imper-  
fecto 23 D. de legatis III.
12. Merger, Frachim: De arbitro compromissario et  
judicibus austriacis.
13. Merger, Frachim: De modis quibusdam secure proceden-  
di in fideiuss. 2 Exmpl.



1676.

14. Norgel, Joachin: De usucapionibus

15. Schleunten, Gotfr. Nic.: Dissertationes juridicae

ad I. l. Tom de intercessionibus.

16. Schleunten, Gotfr.: De fidejussoribus.

17. Schleunten, Gotfr. Nic.: Dissertationes juridicae

ad l. incivilem 2. C. de furtis.

18. Schleunten, Gotfr. Nic.: De felonis curatitate <sup>anb</sup> omni

19. Schleunten, Gotfr. Nic.: De adaptionibus. 2 Exempl

20. Schleunten, Gotfr. Nic.: De contractu empti et  
venditi.

21. Strauss, Gotfr. Nic.: Dissertationes juridicae ad

lib. XXIII D. selectiores quasdam leges.

22. Strauss, Gotfr. Nic.: De actuario.

23. Strauss, Gotfr. Nic.: De infirmitate

solida.

24. Strauss, Gotfr. Nic.: Dissertationes juridicae.

ad lib. XLII. tit. 1. - - -



1676

25. Strauchius, Gotafredus: Dissertatio juridica ad l.:  
quod pupillus 41. P. de Cond. Fidei.

26. Wendeler, David: De Julico.

1677.

1. Berger, Jo. Henr.: Fura interdicti Salviensis.

2. <sup>a</sup> Fugmann, Joh. Christoph: De jure et aequitate

2. <sup>b</sup> Kirchmajerus, Georgius Caspar: De originibus Habspurgico-

3. Leiser, Wilhelm: De conventionibus venditionis Austriacis et

4. Leiser, Wilhelm: De modo vocandi in jus  
Hohenzollernico,  
Brandenburgico

veteri et moderno.

5. <sup>a</sup> Leiser, Wilhelm: De commodato et ex eo

5. <sup>b</sup> ~~Leiser, Wilhelm~~ <sup>a</sup> ~~Leiser, Wilhelm~~: De servitutibus et actionibus

6. Martini, Werner Theod.: De injuriis, Tam

Reali, quam verbali; Scripta simpliciter et

favore libello

7. Naemus, Joh. Carolus: De gerada Saxonica.

8. Lockemsen, Christiaan: De actione metæ

majore mali editæ.

9. Scharpf, Fr. Ferd.: Adversus jus juris civilis

et canonici.



1677-

10. Schleusler, Godof. Nic.: De compendis nanfra-  
giorum.
11. Sommer, Kaspar: Onophagiam Silesiorum  
refellent. . . et Jo. Georg. Gottschalek.
12. <sup>a. 6.</sup> Straunius, Godof.: Dissertationem juridicam  
et l. penult. 88 § 17 Paul. de legat et fidei. II  
de claundo cardinali. . . defendet. . .  
2 Exempt.
13. Straunius, Godofred.: De jure salariorum.
14. Walker, Michael: Thematia mathematica.
15. Wendler, David: De rectore academiæ.
16. Ziegler, Kaspar: De jure vicarum parochi-  
arum.



1676  
11  
212  
M  
19  
2 1/2

I. I.  
DISPUTATIO JURIDICA FEUDALIS  
De  
**FELONIA**  
CUCURBINATIONIS,

Quam  
Consensu & Autoritate  
MAGNIFICI NOBILISSIMIq; JCTORUM  
In alma Leucoreâ Ordinis,  
PRÆSIDE  
VIRO CLARISSIMO AC CONSULTISSIMO  
DN. GODOFREDO NICOLAO  
Schleenstein / J. U. D.

Preceptore, Fautore ac Patrono suo debito  
observantia cultu devenerando  
Publicæ disquisitioni exponit  
AUTOR

ANDREAS Stimmingk /

Belzig: Saxo.

Ad diem 27<sup>o</sup> Maji. M DC LXXVI.

In Auditorio Jctorum horis consuetis.



Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Ziegenbeins.



DISPUTATIO JURIDICA FEUDALIS

L. I.

FELONIA  
CIRCUMSCRIPTIONIS

MAGNIFICENTISSIMIS ET  
CONSENSU & AUTHORITY  
IN ALIA LEUCORÆ ORDINIS

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO AC CONSULTISSIMO

DN. GODOFREDO NICOLAO

Strenuissimè J. U. D.

Receptore, Ratore ac Patro suo debito

observantia cultu deprecando

Publicæ disputationi exponit

AUTOR

ANDREAS Strenuissimè

Belzig: Saxo.

Ad diem 27. Maji. M. DC. LXXVII.

In Auditorio Jurium hinc constitit.



LITTE RÆ

Typis JOHANNIS SIGISMUNDI Siegenbærg.



J. N. D. N. J. C!

**S**I omnium rerum agendarum nobis sunt capienda à Diis immortalibus primordia, referente Ethnicorum prudentissimo Cicerone: meritò & ego invocato divinò Numine hunc laborem incipio. Dum autem prius dubitarem de jucundâ quâdam utiliq; materiâ, tandem animo sententia surgebat, nullam meliorem tum ob hodiernam ejus maximam utilitatem, tum in disputantium scholis raritatem occurrere, quam *Cucurbationis*, materiam. Quid enim hodie, non dicam in aulâ, sed in caulâ, (ut ita loquar,) practicatur magis, quam abominandum hoc, non solum in LL. divinis & humanis, severissimè prohibitum, sed ipsâ naturâ probrosum vitium; *l. 42. de V. S.* Ut taceam gentes moratiores, quæ tam ab hac commixtione abhorruerunt inordinariâ, ut etiam gravissimis pœnis hoc execratae sint flagitium. vid. prolixè differentem Pet. Gregor Tholos. *Syn. tag. Jur. lib. 36. c. 6. à n. 21. usq; ad fin.* Et licet fuerint quædam, penes quas concessa videtur hæc coitio, *Vid. Cluver. Introd. in Geograph. lib. V. c. 9. §. 4. lit. th. p. m 537* adde *Horsbörff. Relat. Juc. 159. n. 7.* non tamen evertunt naturæ præcepta, *§. pen. Inst. de J. & J.* relata. Sicut enim, hæc mutatione carent, *§. pen. Inst. de J. N. G. & C.* ita ab his mutata dici nequeunt, nihilq; ob hunc discessum dd. gentium Universalitati horum decedit. Quod, cum ita se habeat, quis iniquam & non potius cum jure naturæ convenientem judicabit feudorum dispositionem? utpote quæ propter hoc vasalum feudò exuit. Cum a. ante omnia, quid illud sit, de quo disputatur, explanari debeat; rei verò essentia nullâ aptiori, quam definitione, explicari possit viâ, quare hisce morem gerens sisto hic

MEMBRUM I.

Continens

*Definitionem tum Nominalem, tum Realem, & divisionem nostramateria, quibus additur varia Adulterii pœnâ, & ejus origo.*

**A**ntequam v. Definitionem accedam Nominalè, liceat cum *Dn Struv. S. J. F. c. 15. a 8.* hæc ad similitudinè eorum, quæ ibi habet, in antecessum referre, quod, quamvis vocabulum Cucurbationis Latinum non sit, non tamen pudeat hoc uti verbò; timendum enim, ne, dum nimis affectamus Latinitatem pro perspicuis obscura verba usurpasse videamur.

A 2

amur.



515  
amur. Hoc igitur Verbum sicuti nunquam à Dd. Jur. Civilis receptum ità solùm ejus usus ab illis, qui, quas vocant, Feudorum Consuetudines scriptis mandârunt, ad nos dimanavit. Deducitur a. à barbarâ voce *Corbita*, quæ langobardis *in genere* idem erat ac Stuprum, vel infamia, *Reusn. Disp. Feud. IX. th. 31.*; *in specie* v. ad Jus applicatur tantùm Consuetudinarium seu Feudale, ubi Vasallus Dominum suum, inferendo ejus uxori seu cæteris personis *1. F. 5. relatis* stuprum, injuriâ afficit. *Rittersch. part. Feud. l. 2. c. 5. q. 92.*

2. Non igitur derivatur à verbo Latino *Cucurbita* seu *Cucurbitula*, uti quibusdam videtur, quarum Grammatici duo recensent genera; Æneum aliud, aliud Corneum; Germ. *ein Baderkopff*. Multò v. minus deducitur à voce *Cuculus*, (uti quidam apud Alciat. volunt, & rationum loco afferunt (1) sicuti hæc est avis admodum incuriosa sui generis; ità & maritum delineant talem, qui matrimonii sui sit incuriosus, uxoremq; suam permittat mœchis. (2) Quemadmodum Cuculus in alienum nidum maximè Hypolaidis, quam vocant Cûrucam, ova sua transferre dicitur; sic & hic patitur, alium ova suum in nidum congerere; Sed incongruè, hæc enim ratione non *Cuculitare*, (ut ipsi volunt) verùm *Curucare*, esset dicendum: præterea etiam Cuculus in alienum nidum, hîc v. alii in mariti nidum congerunt ova. *Vid. Alc. Parerg. lib. 7. c. 5.*

3. Hæc de abstracto dixisse sufficiant, examinabimus paucis etiam Concretum seu Subjectum, cui hæc infertur Cucurbitatio, sive injuriâ illudq; est maritus uxoris, sive Dominus, *per text. 1. F. 5. §. item si fidelis*. Dico verò *injuria*, non quasi adulter habeat animum injuriandi maritum directò; sed quia indirectè & per consequentiam afficitur injuriâ. *Eckhold. Tit. 6. ad L. Ju' de adult. §. 6.* Nam qui vult adulterare uxorem, adulteret prius ejus maritum, *Neviz. tr. de Sylv. Nupt. l. 4. n. 85. in f.* non tamen hoc propriè est intelligendum; sed impropiè pro conversatione familiari cum viro, hæc enim præstat introductionem ad ejus uxorem *Neviz. d. l.*

4. Hinc denominatur talis; (1) *Cucurbita*, qui est Vir uxoris adulterio infamatus, *Reusn. d. th. 31. Vult. de Feud. l. i. c. 9. th. 31.* Et Dn. Rhetius *in Comm. ad text. 1. F. 5.* cujus, *inquit*, stuprum perpessa est uxor. (2) *Cornutus*, seu *Corniger*, quia subsessorem patitur sui matrimonii, *Rittersch. d. q. 92.* Salutatur (3) *Bonus Vir*, non quidem in sensu proprio & Philo-



214

Philosophico, pro eo, cui omnes insunt virtutes, & actiones virtuosae; sed sensu maxime abusivo, pro tali, qui ob uxoris suae lasciviam male audit. *Eckhold. Tit. de Injur. §. 3. (4) Αργός, i. e. ignavus iners*, quod ex & privat & ἔργος, opus, qui est sine opere, Vir sine negotiis, incuriosus & segnis, componitur: quia qui hoc flagitiū in maritum patrare audet, habet eum pro homine inerte, cui pro capite sit Cucurbita, & loco cordis pepo, imò qui dignus sit, quod cucurbita spingat. *Rittersch. d. l.* Ob hanc etiā inertiam maximam incurrere in Catalonia maritum poenam: Hūc nim. etiamsi sit ignorans, solvere teneri fisco 40. solidos; Et Parisiis duci per vicos ab uxore retrogradum super asinum, praecone clamante: Qui sic faciet, sic accipiet, refert *Neviz. d. lib. 4 n. 85.* Ap. germ: audit (5) ein Hahnrey/ *Harsdörff. S. cit. loc.* quod non, uti puto, derivatur à Hahn & Rehe; sed à Hahn & Reye/ quia talis in seriem deductus est Gallorum. Sicuti enim gallus multis gaudet gallinis, non tamen semper iis solus utitur; ita & noster, licet propriam habeat uxorem, non tamen tantæ est felicitatis, ut solus fruatur universo jure, quo alii in uxoribus gaudent.

5. Evolutâ nominis definitione, pergendum ad Realem: Describimus autem Cucurbitationem, quod fit Felonia quædam incommittendo indirecta quâ Vasallus adulterando Domini sui uxorem, aut pudicitiam ejus attentando, item conjunctas personas in Jure Feud. & à Dd passim relatas stuprando, Seniore suum gravi injuriâ afficit, indeq; Feudum amittit. *per text. 1. F. 5. vers. Item si fidelis. junct. 2. F. 24. §. Rursus ibiq; Dd.*

6. Generis loco ponitur Felonia, quod verbum juxta veriore opinionem descendit ex longobardorum vocabulo Seelen/ vel Saelen/ quorum illud ipsis erat errare, hoc v. perfidia, unde id Germanorum: Einem auffm faelen Pserde befinden/ i. e. in fallaciâ l. perfidiâ aliquem deprehendere; hinc etiam terminatione Latinum, derivatione v. Germanicum. *Dn. Struv. S. 7. F. c. 15. n. 8. n. 1.* Quod autem sit Felonia probatur, quia Vasallus contra fidem datam faciens, fit perfidus, & hæc vox in genere competit delictis, quibus Vasallus feudum perdit. Dicitur aliàs (1) Adulterium. *per text. 1. F. 5. v. Item si fidelis. junct. 1. F. 17. ibi: adulterarint.* (2) Concubitus vel saltem attentatio ad concubitum. *d. §. Item si fidelis 1. F. 5. §. 1. F. 21. inf. ibi: si concubuerit.* (3) Immixtio Vasalli cum Domini vel Dominae filiâ &c. *per text. 2. F. 24. §. 2. vers. Rursus.*

7. Differentiam absolvent reliqua; & quod dicitur (1) in committendo

A 3 endo



rendo. Omnis enim felonia vel in committendo, vel in omittendo consistit. Hæc non est, quia in hæc requiritur ommissio illius, quod ratione Vasallagii Vasallus præstare tenetur; E: erit felonia in committendo. Hæc verò fit vel in Dominum, vel in rem, vel in extraneum; de duobus posterioribus nostra non participiat, quare erit in Dominum. Si igitur hæc; aut directò tendit ad eum, aut per consequentiam: Illa huc non spectat, quia tum commissa dicitur, si in Domini personam immediatè peccat v. g. cum in prælio deserendo; hinc vero interveniente uxore injuria tendit ad Dominum; erit ergò Felonia in committendo in Dominum indirectè commissa. Dum enim Vasallus polluit totum Domini, citra dubium involat in jura ejus cumq; juxta supra allata malè audire facit. Dixi porrò, (2) quâ Vasallus &c: & hoc modo separatur ab omnibus aliis in Dominum commissis delictis. Quot modis autem Committatur, *f. in Membr. 2.* separatim agendum.

8. Dividitur Cucurbitatio in Consummatam & Inchoatam: Illa est, quando Vasallus cum uxore Domini vel cum ejus filiâ, aut sorore &c. concubuit. *dict. text. 2. F. 24. §. Rursus. § 1 F 5 §. item si fideis* Inchoata v. est, quando Vasallus concumbere cum uxore Domini se exercuit, aut cum eâ turpiter luserit, ad effectum v. sceleris non pervenit. *§. Item si fidelis. 1. F. 5.*

9. Causa efficiens ratione introductionis est *fus Feudale* à Langobardis & Francis Italiam Galliamq; occupantibus introductum *Dn. Servu. S. f. F. c. 1. a. 3. n. 3.* quod postea instar Rhapsodiæ à quodâ privato conscriptum; quod & aliàs vocatur Consuetudo Feudorum *2. F. 2. §. f. it: Mores Curiarum, 2. F. 1. pr. Usus etiam Regni (sc. Langobardici, 1. F. 15. §. 1. Vid. Schnob. Disp. Feud. 1. th. 4.*

10. Subjectum quod, seu activum,) constituit *Vasallus* hoc perpetrans flagitium, *1. F. 17. § 1 F. 21. §. f.* Nihil autem refert, quis sit Vasallus, superior nè an inferior Domino: Liber an v. Servus *per text. 2. F. 3. Vultej. de Feud. c. 4. n. 7.* Subjectum verò in quod seu materia circâ quam sunt *persona*, partim *Immediata*, partim *Mediata*; hæc est Dominus, cui dicitur inferri hæc Cucurbitatio *per text. 1. F. 5. d. §. Item si fidelis § 2. F. 57. §. ibi F. F.* Personæ immediatæ sunt, in quas crimen hoc committitur, uti sunt: (1) Uxor Domini *per text. 1. F. 17. 1. F. 5.* sive sit justa sive injusta, *per l. 13. §. 1. de adult: imò talis, quæ vulgaris est, Dd. ad text. 1. F. §. arg. d. l. 13. §. 2. d. 1.* (2) Sponsa ipsius, nam neq; spes matrimonii violanda, *d. l. 13. §. 3. eod.* (3) Soror in domo manens Domini, & adhuc in capitulo. *per*



10. per text. 2. F. 24. S. Porro. (4) Filia, (5) Neptis ex filio. (6) Mater. (7) Nurus. (8) Vidua, & (9) Concubina Domini, 1. F. 5. vers. Item si fidelis, ibiq; Dd. de quibus infra.

11. Forma & finis consistunt in modo ledendi, nimirum in violatione fidei & tori Domini; In eo namq; ab aliis distingvitur criminibus. Dum enim hic fidem frangit in Investiturâ Domino datam, graviterq; contra tertium formæ fidelitatis impingit præscriptum, 2. F. 6. gravissimam infert Seniori injuriam.

12. Et hæc de Definitione: Jam esset pergendum ad personas, cum quibus coiens Vasallus, pœnarum incurrit feudalem; Cùm v. sequenti capite de his me in speciè dicturum constituerim, placet nunc paucis quædam de adulterii pœnam origine in medium afferre ut de justitia dispositionis Juris Feudalis eò melius constare possit. Hanc v. non repeto cum Pyrrhoniis & Cyrenaicis ex LL. opinione vel statuto hominum, quorum illi, τὸ δίκημον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν ἔ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ; hi verò: μηδὲν εἶναι φύσει δίκημον ἢ καλὸν ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ θεῶ, inqviunt Horum enim opinionem tanquam erroneam ipse Ethnicorum sapientissimus Cicero rejecit & contra eos disputavit lib. 1. de LL. *Kid. Wissemb. ad l. 42. de V. S.*

13. Fundamentum igitur peto ex ipso Jure Naturæ, dum enim hoc prohibet malum §. 3. *Inst. de J. & J.* simul etiam præcipit & vult, puniri transgressorem: Cui adstipulatur Deus T. O. M. qui in libro Decalogi expressè dicit, *Non mæchaberis.* Certum autem est, Decalogi præcepta non ideò esse justa, quia præcepta; Sed ideò præcepta quia justa; Si igitur quis transgrediatur hanc legem, determinavit summus Lator *Levit. 20. v. 10.* pœnam capitalem, *Suprum*, inqviens, qui infert alterius uxori, morte moriatur & adulter & adultera. Ex quo videmus, Deum non tantùm jusfisse bona, & quæ conveniunt naturæ; Sed etiam velle, ut gravissimis pœnis prosequamur mala. *Licet autem* (inquit *Schneidw. ad Tit. Inst. de Nupt p. 5. de Repud. n. 62.*) *lex mosaica judicialis ad nos non pertineat, tamen exemplum legis Mosai- ce munit Conscientias, quia ex testimonio legis divinæ certi sunt judices, se non facere contra voluntatem Dei.* Quamvis igitur alii dicant, pœnam non tam præcipi à Jure Naturæ, quàm permitti; Non tamen congruit cum ipsâ rei veritate. Quis enim non intelligit, eo ipso, dum aliquid prohibet, etiam tacitè velle & præcipere J. N. ut hoc delictum contra legem præscriptam commissum quoq; puniatur. *Faci mecum JCtus*



2015  
J. C. Saxon. Magnif. noster Ordin. Dn. D. Zieglerus in Comment. celeberr. ad Hug. Grot. l. 2. c. 20. §. 22.

14. Cum autem J. N. taceat, qualis debeat esse adulterii poena, capitalisne an verò pecuniaria; ex hinc videmus, naturam Latoribus humanis hanc reservasse determinationem, qui etiam pro diversitate loci, morum & delicti, varias statuerunt poenas; & nullus ferè unquam adinventus populus, cui hoc delictum non poenâ dignum visum sit. Sic legimus de Locrensi Latore Seleuco, qui sancivit, ut adulteris uterq; oculus erueretur. Quam etiam statuere voluit poenam in proprium filium transgressorem, victus verò populi precibus suo prius, deinde filii oculo eruto, legi latæ satisfecit. *Val. Max. Lib. 6. c. 5.* Sic in Regno Neapolitano sancitum legimus, quod Vir hoc casu mulieri adulteræ nasum præcidere potuerit, quod si facere noluerit, mulier publicè fustigata sit. *Franc. Viv. tr. Côm. opin. Lib. 2. verb. Adulteri. n. 4.* Sic & Imperator Aurelianus stupratorem hospitis suæ duabus arboribus alligatum discerpfit. *Vid. Joach. à Beust. tr. de Matr. p. 2. c. 18.*

15. Hinc etiam liberum erat in J. Civ. poenam præscribere, qualem existimabant convenire cum delicto: non enim æquiparatur delictum & persona, sed delictum & poena, ut quantum sit delictum, tanti quoque juxta naturam justitiæ commutativæ æstimetur poena. *Vid. Eckhold ad tit. 4. de J. & J. n. 12. & Dn. Struv. S. J. C. Ex. 1. §. 31.* Sic de Jure XII. Tabb. legimus antiquorum Romanorum de adulterio legem, quæ statuitur: Si quæ mulier temetum bibisset, cum vè alieno viro probri quid feisset, ut in eam maritus ipsius causâ cum propinquis mulieris cognitâ, poenam statueret, quæ erat interdum capitalis, *Plin. lib. 14. c. 13.* aut si eam in adulterio deprehendisset, tum eam occidendi jus haberet. *Vid. Rittersh. in Comm. ad Ll. XII. Tabb. c. 7. p. m. 89. & Baldwin. cod. Comm. c. 15. 16. p. m. 17. seqq.*

16. Hæc verò lex cum nimis rigida esset ratione præsertim temerari, hinc ei consuetudine inumbrata successit Lex Julia de Adulteris à D. Augusto lata l. 1. π. h. t. quæ poenam aliquantò mitiorem præscripsit adulteris; Relegationem nempe per l. 5. π. de Quest. *Tacit. Lib. 2. Annal. c. 50. Cujac. 6. Obs. 11. Vid. Wissemb. ad tit. π. de Adult.* Postea verò cum hæc videretur insufficiens, & crescerent indies delicta, exasperabantur quoque poenæ. Constantinus enim M. ad similitudinem legis divinæ gladii confirmavit poenam, l. 30. §. f. C. h. t. quam tamen in foeminâ iterum mitigavit Imp. Justinianus per Nov. 134. c. 10. §. Adulterans. Et quam-



quamvis Julius Clarus §: *Adulterium. n. 7. ver. In Senatu*, ob delictum in foemina turpius & incertitudinem prolis annotet, hanc detrusionis poenam (praesertim cum hoc nostro tempore monasteria pluribus in locis desolata sint) in desuetudinem abiisse, & se nunquam in senatu eam servari vidisse recenseat; noviori tamen jure jus Justinianicum in *d. Nov. 134.* antiquum conservatum, & capitis supplicium ad masculinum sexum tantum pertractum est à Carolo V. in *Constit. Crim. art. 120.* Vid. *Dn. Struv. S. 7 C. Ex 49. th. 30. it. Const. Elect. 19. p. 4.* & haec late deducentem *Dn. Carpz. tr. Cr. p. 2 q. 53. n. 27.* & seqq. ubi praesertim de observantia fori extra ditiones Electorales testatur n. 32. seqq.

17. Similem ferè antiquum Saxonum genus adulterii poenam sibi reservasse constat ex veterum illorum Scabinorum responsis, teste *Joach. à Beust d. l.* qui mulierem tali casu virgis coedendam esse pronuntiârunt, nisi inter Cojuges facta sit perpetrati delicti condonatio, per *gl. Land. R. lib. 2. art. 13. verb. Und die in Oberhureren begriffen werden.* Sed hodie ista mitigatio respectu mulieris maritatae habentis consuetudinem cum maritato, amplius in terris Electoratus locum non habet; verum in utroq; resuscitatum Imp. Constantini jus in *l. 30. C. h. r. per dictam. Const. 19. §. wann aber.* Ita ut neq; remissio Conjugum habeat locum. per *§ seq. wollen auch.* Idem obtinet, si persona maritata cum soluta sese copularit, ut haec, si mulier, virgis coesa relegatione perpetua afficiatur; si v. mas, capite plectatur, *§. darüber aber. d. Const. non obstante, quod inter Conjuges condonatio fiat. ib. §. Es soll aber.* Illa v. sive mas sive foemina ordinariae adulterii poenam puniatur: nisi reconciliatio sequatur conjugis, per *§ seq. tedoch wollen Vid. Carpz. d. tr. p. 2. q. 54. n. 27. & q. seq. 55 per tot. Eckhold. ad tit. w. de adult. § 9. circ. fin.*

18. Merito ergo laudanda Juris Feud. de adulterio inter Vasallum & Seniore suum dispositio; sc. *Feudo privari Vasallum qui cucurbitaverit Dominum.* Maritus enim & uxor, sicuti ex copulatione unum efficiuntur corpus, *can. Agathosa. 21. XXVII. q. 2.* imò una caro, *Gen. 2. v. 24. c. debitum. in med. X. de Bigam: maritus etiam ob hunc Vasalli congressum malè incipit audire, Reusn. Disp. Feud. IX. th. 31.* ita & jure Dominus Vasalli vindicans feloniam, cum beneficio suo propter violatum juramentum, quo omnem ipsi promissit honestatem 2. F. 6. exuit.

## MEMBRUM II.

Exhibens

*Modos, quibus Cucurbitatio commissa dicitur, & quibus non.*

B

I. Si-



142  
I. Sicuti bona allodialia jus commune non sinit sine facto nostro ad alium transferri, *l. 11. π. de R. J. c. 23. c. 76. de R. J. in 6.*; ita & beneficiaria legitimo modo acquisita sine pragnantissima causâ à Vasallo non possunt auferri, *1. F. 21. pr. & 1. F. 7.* hocq; in tantum procedit, ut etiam à Principe ipso minimè, ne publicæ quidem necessitatis causâ, nisi refuso pretio *arg. 3. Reg. 21. Ezech. 46. v. 18.* fieri possit. *arg. l. 3. C. de Resc. Vend. junct. d. text. 1. F. 7. pr. Gail. 2. Obs. 56.* licet etiam hic vocetur mundi Dominus *l. 9. π. ad l. Rhod. de Fact. Vid. Schnob. Ex. π. 4. th. 12. ibiq; cit. text.* Cùm enim nihil tam sit congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ inter eos placuerunt, observare *l. 1. pr. π. de Pact. & fidem datam frangere grave sit l. 1. π. de Constit. pec. ipse quoq; Princeps æquè, ut cœteri homines, obligatur. arg. l. 4. C. de LL.*

2. Ne autem Vasallus sine culpâ suâ perdat feudum, solliciti fuere Feudorum Compilatores, certos modos præscribere, quibus perdat, & quibus non. Verùm cùm natura quotidiè novas deproperet edere formas, *2. F. 24. §. item qui v. sed quia.* & ipsa sub certâ regulâ & rotundâ definitione comprehendere planè impossibile videatur, *2. F. 23. pr. & 2. F. 24. d. vers. sed quia.* Quare in tantâ illarum copiâ proposui unicam hanc ejusq; partim J. Feudalis texx. partim Dd. communi calculo approbatas species hic sub Dissertationis nostræ incudè revocare.

3. Quia *v. 1. F. 5. v. Item si fidelis.* Ordine recensentur quædam personæ, cum quibus coiens Vasallus Cucurbitationem committit; meritò & hic reservanda hæc à FF. nobis præscripta methodus. Primò a. sese offert *Uxor Domini*, Inquit n. textus: *Item si fidelis concubiterit Dominum, i. e. cum uxore ejus concubuerit.* Unde formanda hæc venit regula: Vasallus cucurbitans Dominum concumbendo cum ejus uxore perdit Feudum *d. text. 1. F. 5. & 2. F. 57.* Ratio est, quia agit contra honestatem Domini, & sic contra unum ex sex requisitis, allegatū *2. F. 6. ibi: Honestum; & 2. F. 7.*

4. Hæc de regula: quæ nunc amplianda venit quod non tantum procedat, si actu ipso concubuerit, sed juxta textum nostrum *1. F. 5. §. Item si fidelis.* concumbere saltem sese exercuerit, i. e. concubitum ejusmodi attentaverit. *Schnob. Disp. Feud. X. th. 13.* rationem addit *Curt. Jun de Feud. p. 4. n. 24.* quia in delictis atrocioribus quandoq; punitur affectus, licet non sequatur effectus, *l. 5. C. de Episc. & Cler. l. 14. π. de sicar. l. 1. π. de extraord. crim. Et Apulejus lib. 4. Florid. In maleficiis, inquit, cogitata scelera non perfecta*



fecta adhuc, vindicantur. Quæ verba rectè explicat *Rittersb. l. 2. c. 5. q. 5.* cogitationem non intelligi nudam ac simplicem, in mente inclusam & retentam, sed quæ foràs ad actum procedit, seu quæ externum quoq; assumit conatum, *arg. l. 14. π. ad l. Corn. de sicar. faciunt huc ea quæ dicit Cic. l. 3. Off. cap. Cum igitur aliqua species. v. in ipsâ n. p. m. 107 Rittersb. d. l.*

5. Quid verò si eum pœniteat præsumti sceleris, num idem erit privationis effectus? Dist. aut suâ sponte desistit Vasallus à præsumto scelere, quodq; si conatus fuisset, perficere potuisset; aut propter impossibilitatem & intervenientia impedimenta retractus pœnitiâ ducitur. Illo modo nequaquam perdit Feudum: nemo enim cogitationis meretur pœnam, *l. 18. τ. de Pœn. can. 14. Dist. 1. de Pœnit. l. 19. τ. ad L. Corn. de Fals. Hoc v. si consideratur modo, venit privandus Feudo arg. d. l. 19. § si voluerit. 2 F. 51. inf. Conatus enim hic pro effectu habetur d. l. 5. C. de Episc. & Cler. & punitur delictum s. potius animus delinquendi, respectu sc. cujus delictum est perfectum, licet non sequatur effectus arg. l. 20. C. de Furt. § 8. Inst. de Obl. quæ ex del. nasc. Curt. Jun. de Feud. p. 4. n. 25 Zaf. de Feud. p. 10. n. 27. Dn. Struv S. J. F. c. 15 a. 9. n. 3.*

6. Dicitur porrò in textu: *Aut cum eâ turpiter luserit.* Ubi venit explicandû, quid sit τò turpiter ludere. *gl. ad d. §. Item si fidelis explicat, quod sit, si fortè manus ad pectus ejus ponat, addit Schultz. Syn. J. F. c. 11. n. 29. & Reusn. Disp. IX. th. 32.* si manum in sinum mulieris mittat, fœmora, mammillas, vel alium locum, unde turpe esse potest, contredet. *per l. 16. tit. 54. lib. 2. LL. Langobord. allegatam à Rittersb. d. l. q. 94. arg. l. 9. §. ult. & l. 10. π. de injur. imò hoc fit, si mittat mulieri literas amatorias, vel munuscula, libidinum incitamenta, quibus ad stuprum eam sollicitet, aliisvè strophis pudicitiam ejus expugnare attentet. Vult. c. 11. n. 31. inf. Reusn. d. l.*

7. Hinc Qv. An etiam ob osculum uxori Domini applicatum amittat Feudum? Variæ sunt hic sententiæ, distingvendum puto, aut *Oscula sunt turpia, libidinosa & amatoria,* & hæc, quia sunt amoris basis & præparatoria, *gl. in l. 1. pr. τ. de extraord. crim. vb. propter voluntatem.* meritò promovent Vasallû ad feudi privatione; aut verò sunt *Oscula charitativa s. officiosa,* quæ charitatis gratiâ puellæ l. mulieri obvenienti impinguntur, quæ uti sunt sancta & religiosa, multoties Apostolorû Principes Christianis cômendârunt, *Rom. 16. v. 16. Epist. Pet. 5. v. 14.* Hic tamen observanda consuetudo loci, nam de Gallis Belgis & his vicinioribus Germaniæ populis refert *Reusn. d. th. 32. ex Sincelthaus*



quod apud eos osculum non solum omni careat crimine; sed & singularis benevolentiae signum sit, quique hoc praetermittat, rusticus & agrestis habeatur. Aliter v. sese habere dicit in Italia, Hispania, & plerisque Germaniae locis, ubi osculum luxuriosum & amatorium iudicatur; Distingvenda tamen & hic sunt Oscula, utrum fiant in loco aperto, an v. secreto: Illo modo ex circumstantiis facile dijudicandum, qualia fuerint; hoc v. si fiant modo, aut est Clericus aut laicus: Si hic, plerumque praesumitur, osculum fuisse impudicum, & libidinosas svaviationes; Si v. Clericus, olim hoc interpretabantur benedictionis causa factum, *gl. in can. Absit. verb. sinistrum. XI. q. 3.* successu autem temporis nequitiam Clericorum factum, quod illa glossae sententia communiter sit rejecta *per c. 1. & 2. x. de Cohab. Cler. & mul.* Hoc enim casu, quo mulieres deosculantur & amplectuntur, non praesumuntur velle benedicere aut Pater noster orare, *uti inquit Neviz. d. tr. lib. 4. n. 76. Alciat. ad c. Cum non ab homine 10. x. de Judic. n. 77. in f. Liebentz Colleg. Eth. Exerc. 12. q. 11. in f.* Cum igitur oscula impudica non tantum proxima sint a coitu, sed etiam pars quaedam adulterii *Neviz. d. l. n. 78.* & mulier uti pudicitiam marito illibatam, ita & oscula eidem sincera reservare tenetur, *Val. Max. lib. 6. c. 1. Vid. Schepl. ad Klamm. Promptuar. Jur. Civ. & Feud. tit. 7. §. 9. n. 7.* merito Vasallus oscula suspecta sumens a Domini uxore, pedisequam habebit privationem feudi; dicitur enim hic *in d. §. Item si fidelis. si turpiter luserit, & §. Porro. 2. F. 24.* si graves & inhonestas injurias intulerit, quae verba sunt admodum generalia *fac. l. 9. in f. & l. 10. π. de injur. Alciat. ad l. 2. π. Sol matr. n. 6.*

8. Hoc etiam procedere videtur, si cum Concubinam Domini sese immiscuerit, de jure sc. communi, licet forsan aliud moribus observetur, quia enim hodie Concubina nil honestatis habet, & Dominus rem gerit illicitam, merito hic non observatur concubitus. *Schnob. Disp. F. 10. §. 15.* De jure v. antiquo & (1.) Civili, Concubinatus (modo ambo sint soluti, *l. un. C. de Concub. & Concubina non sit ex illustri familia nata, l. 3. pr. w. eod.*) cum fuerit licitus, aliud dicendum; ratio est in eo, quia Concubina ab uxore solo dilectu (i. e. animi destinatione) separatur, *Paul. lib. 2. Sent. tit. 20.* deinde inter Concubinam & mulierem praeter dignitatem nihil interest, *l. 49. §. 4. w. de legat. 3.* Idem dicendum de jure (2.) Canon: licet enim Concubinatus hoc videatur prohibitus per *can. Concubinae XXXII. q. 2. & Can. Nemo sibi, eadem caus. q. 4. Vid. Emer. à Rosbach. Comparat. Jur. Civ. & Can. lib. 1. tit. 7.* non tamen totus prohibitus,



bitus, sed quodammodo restrictus; Nam præsuppositis seqq. requisitis conceditur, *in can. Solet quæri. 6. XXXII. q. 2.* ubi dicitur, quod (1) debeat consistere inter cœlibes (2) non liberorum procreandorum, sed pro incontinentiâ solius Concubitus causâ jungantur. (3) Nec ille cum alterâ, nec hæc cum alio idem faciat (4) Concubina non ad tempus, sed eò usq; adsumatur, donec alia dignior aut ditior accipiatur. *Hun. in resol. Jur. Civ. lib. 1. tr. 3. q. 5. fac. text. in can. Is qui Dist. 34. & seq. Vid. Rittersh. Diff. Jur. Civ. & Can. lib. 2. c. 19.* Si igitur licitus fuit Concubitus, meritò putarem ex hisce juribus Vasallum privari feudo ob concubitus cum Domini Concubinâ. Huc facit argumentum communiter à FF. receptum, quod omni ex causâ æquipollente relatis in jure Feud: causis, Vasallus privandus sit Feudo, ex quo Filius venit exheredandus &c. *per text. 2. F. 24. §. Prædictis. junct. Nov. 115. c. 3. §. 6. & l. ult. C. de Revoc. donat. Curt. Jun. d. p. 4. n. 21. qui sibi ipsi contrarius videtur in d. p. 4. n. 77. Vultej. lib. 1. c. 11. n. 32. vers. Non idem & n. 13. eod. Rittersh. part. Feud. l. 2. c. 5. q. 3. pr.*

9. Stat igitur, Vasallum ex commixtione cum Domini Concubinâ Feudo cadere: Sed cum non tantum à Ducibus, Marchionibus &c. tanquam secularibus Feuda concedantur, verum etiam à Clericis, Archiepiscopo forsitan, Episcopo &c. *per text. 1. F. 1. pr. & 1. F. 3.* non immeritò quæritur, si Episcopus Senior forsitan Concubinam alat, & Vasallus cum eâ concubat, an idè Feudo privetur? & Resp. quod non (1.) inter Clericum enim hunc & Concubinam nulla conjunctio, *arg. Nov. 123. c. 14.* imò potius damnatus & detestabilis amplexus, *t. t. x. de Cohab. Cler. & mul.* hinc etiam nullam exinde Episcopus sentit injuriam: Ubi enim similis turpitude, ibi & æqualis compensatio *Dd. ad l. 3. de Condit. ob turp. caus. & in pari delicti causâ rei conditio potior est, gl. ad l. 2. pr. verb. deteriore & Ne quis cum, qui in jus voc:* (2.) quia ipse Episcopus propter Concubinam meretur pœnam *arg. d. Nov. 123. c. 14. & can. 11. Dist. 32.* E. ex quo pœnam hic meretur, non debet lucrum, nempe consolidationem Feudi, expectare. *arg. l. 134 §. 1. & de R. f. Vid. Rittersh. d. tr. de differ. 7. Civ. & Can. lib. 2. c. 20. & 21.* Si igitur Concubitus Clericis illicitus, quomodo excusandus ille alicujus Episcopi Fiscalis? Hic enim cum extorqueret à Sacerdotibus subsidia, (ut vocant) charitativa, & fortè ad sacerdotem in rure degentem perveniret, ut solveret; Hic sese defendens dicebat: sibi non esse Concubinam; Respondit homo nequam: Hei provideas tibi de unâ, Episcopus cogitur habere pecuniam



815  
niam. *Uti hoc relatam sibi refert Zas. in Enarrat. ad l. 3. π. de Jurej. n. 9.*  
10. Hoc v. non procedere puto, si tantum uxorem Domini turpi-  
ter allocutus sit, non tamen (*uri gl. ad d. §. Item si fidelis.*) ejus personam  
tetigerit, si fortè cum eâ licentiosè vel impudicè, sine aliâ verò suspi-  
cione, loqueretur; colloquia enim non tam sunt turpia, quàm tactus; &  
odiosa sunt restringenda *c. odia x. de R. 7. in 6.* Nec obstat, quod collo-  
quia & basia sint præludia Veneris, *gl. ad l. 1. π. de extr. crim.* nimis n. re-  
mota est causa & præparatio ad Concubitum colloquium, quare non  
etiam perdere dicatur ob visum vel risum, in eodem ferè amoris gradu  
positos? Idem dicendum, si errore lapsus uxori Senioris solvisset cingu-  
lum, reperiens forsan eandem in lecto suo, & ille ignorans suam credat  
esse uxorem; vel si mulier impudica domum Vasalli ut juvenis perso-  
nata sub larvâ aut cucullo intret *per can. In lectum. 6. XXXIV. q. 2. &*  
*arg. l. pen. τ. de adult.* modò nulla fraus vel crassa subsit ignorantia *t. 1.*  
*π. de J. & sign.*

11. Aliud obtinere puto, si Vasallus cucurbitanti alteri opem tu-  
lerit, fortè domum suam, ut adulterium fiat, vel conveniant de eodem,  
scienter præbendo, *per l. 8. π. de adult.* fingitur enim hic domum suam  
ideò concessisse, ut adulterium committeretur, *l. 9. §. ult. τ. eod. ubi &*  
*ratio. l. 53. in f. de V. S. &* quia hic non prohibet, quò minus Dominus in-  
juriam patiat, *per 2. F. 7* sed potius omnibus nervis eò tendit ope suâ  
ut injuriam patiat, quare indignus beneficio judicatur. *Intrigliol. de*  
*Feud. q. 82. n. 4. Curt. Jun. p. 4. n. 20.* Idem observandum, si Dominæ con-  
siliium adulterandi præstiterit; persuadere enim plus est, quàm compelli  
*l. 1. §. 3. de serv. corr.* licet non accesserit delictum; hic enim fecit, quod  
facere potuit, *arg. §. 8. Inst. de Obl. quæ ex del. &* semel malus, semper  
præsumitur talis *c. 8. de R. 7. in 6.*

12. Sed cum etiam Sponsus ob stuprum Sponsæ illatum maxi-  
mam sentiat injuriam, *l. 15. §. 24. π. de Injur.* rectè Vasallus ob concubi-  
tum cum Sponsâ Domini perdit Feudum, *arg. l. 1. F. 5 ibi. cum uxore.* licet  
enim desponsatæ revera non sint uxores, *arg. l. 12. §. 1. l. 38. pr. τ. de Rit.*  
*nupt. l. 9. de his, qui not. inf.* tamen ita appellantur *Deut. c. 22. v. 23. &* *seq.*  
*fac. l. 5. τ. de testibus. can. Qui desponsatam. 12. XXVII. q. 2.* idq; propter  
promissionem factam, & spem futuri conjugii; Est enim sponsus quasi  
maritus & desponsata quodammodo nupta. *Vinn. in Not. ad §. 9. Inst. de*  
*Nupt.* Nec Vasallus tantum nuptias, sed nec spem nuptiarum temerare  
debet *arg. l. 13. §. 3. π. de adult. Schepl. d. tr. tit. 7. §. 9. n. 4. Reusn. Diss. 9. 8. 33.*

13. Et



13. Et hæc de uxore Domini: Pergit *text. 1. F. 5. Vel si cum filiâ, aut cum nepte ex filio a nuptâ filio. jung. 2. F. 24. §. Rursus.* Perdit itaq; Vasallus Feudum, si cum hisce concubat personis. Patitur n. Dominus non solum injuriam per semetipsum; sed etiam per liberos, & qui liberorum loco sunt. §. 2. *Inst. de Injur. l. 1. §. 3. π. & l. 2. C. eod.* Notanter v. dicitur Nepte ex filio, non v. filiâ, secundum communem FF. opinionem. ratio est, quia ad Seniores non tantum dedecus per injuriam illatam nepti ex filia redundat *Reusn. d. l. 38. Vult L. 1. c. 11 n. 31.* non enim hæc in avi materni, sed patris sui est familiâ, §. *ult. Inst. de P. P. & filia non patri, sed marito filiumf. parit l. 196. §. 1. de V. S.* licet nuptiis non solvatur Jus patris, l. 2. §. 1 l. 29. *Sol. matr.* Idem obtinet in Nuru, nam & hæc loco filia est socero & socru *§. 6. Inst. de Nupt. Rittersh. d. c. 5 q. 107.*

14. Hisce jungitur Soror Domini, *dd. text. si sc. est in domo fratris,* extra hanc verò constituta, Vasallus non Feudo est privandus; majorem n. ad Domini injuriam pertinet, si hæc nefanda patrentur in domo suâ, quàm si alibi *arg. l. 23. §. 2 π. de adult. Zas de Feud. p. 10. n. 25.* & si extra domum ejus fiat, non tam propè attingit Dominum; nam nubes do alteri, à domo fratris transit in familiam mariti, qui hanc vindicabit ipse injuriam. *Rittersh d. l. 9. 108.* Non v. sufficit in domo fratris eam existere, sed requiritur, ut in capillo sit, *per text. 2. F. 24. §. Rursus. i. e. ex stylo Langob nondum maritata puella sit, die in haaren gehe/* quæ nota apud Saxones erat, & adhuc plerisq; in locis est, virginitalis, *annotante Reusn. in Prefat. Jur Feud ad lect. vers. Accedit.*

15. Quid verò, si concubat cum matre Domini? Amittere eum feudum puto; eadem enim matri, quæ conjugii debetur reverentia, *arg. nov. 105. c. 2. pr. mater enim & uxor respectu Conventionis coram magistratu officiorum similibus gaudent privilegiis, l. fin. §. 1. pr. C. de Castrens. l. ult. pr. C. de Privil. Schol. XII* ubi ergò eadem legis ratio, ibi eadem dispositio. *Curt. Jun. d. p. 4. n. 30.* Imò putarem, Dominum longè majorem ex hac commixtione sentire injuriam, quàm si cum ejus concubat Sorore.

16. Hic possit quæri, quid si Vasallus concubat cum Domini Viduâ? Sunt hic, qui planè negant, sufficere ad privationem *per text. 1. F. 21. §. ult. Schnob. disp. Feud. X. 9. 14.* alii contra in totum affirmât, hæc ratione indifferenter Vasallum perdere Feudum *arg l. 4. §. 16. π. de dol. except. l. 8. inf. π. de Senat. Curt. Jun. p. 4. n. 20.* Alii iterum distinguunt intra tempus luctûs, & reliquum vitæ | Viduæ spatium, illo modo, putant



255  
tant Vasallum perdere Feudum, hoc v. non, arg. Nov. 39. c. 2. Dn. Struv. S. 7. F. c. 15. a 9. n. ult. Sed mediâ incedendum viâ putans facio partim cum Struvio, partim cum Curtio, cum hoc, si vidua est mater ipsius in proprietatem Feudi Successoris, hæc enim respectu Prædecessoris est Vidua, respectu verò succedentis filii mater; Sicuti autem Vasallus ob concubitum cum matre Domini perdit Feudum, uti dictum, merito dicendum, quocunq; tempore fiat stuprum, amitti Feudum: aliud dicendum, si deficiente descendente agnatus succedat, tunc enim cum Dn. Struv. d. l. & aliis distingvo, quod fiat aut intra tempus luctus, aut postea: illo modo affirmatur quæstio per d. Nov. 39. c. 2. intra luctus enim tempus nubens seu peccans, intelligitur in matrimonio priori peccasse per Nov. 22. c. 22. pr. hoc verò nego, arg. l. 19 in f. π. de lib. & posth. her. inst. l. 42. de Pœn. c. 15. x. de R. J. in 6. idq; propter rationem in l. 13. §. 2. τ. de adult. allegatam, Dn. Beier in not. ad Schnob. Disp. Feud. X. θ. 14.

17. Nec interest, an dictæ personæ sint communia prostibula, an verò non, loquuntur enim dd. texx. generaliter: ubi verò lex non distingvit, nec nostrum erit, distingvere arg. l. 1. §. 3. de Aleat. l. 8. τ. de public. in rem act. & Vasalli hoc loco erit, ob beneficium suum abstinere ab hoc maleficio; licet n. hic non committat adulterium vel stuprum per l. 29. C. ad l. Jul. de adult. Schnob. d. Disp. x. θ. 16. tamen ignominiam Domini facto suo auget, & contemptui habet juramentum fidelitatis 2. F. 6. ubi sese obligavit, se non tantum velle committere quid contra ipsius honestatem, verum etiam sex illa adducta à Domino avertere, quod verò hic non observat fidelis. Unde etiam eleganter Gregor. in Homil. Mart. Minorem, dicit, dolorem mala inferunt, quæ ab extraneis inferuntur, plus verò ea tormenta, quæ ab illis patimur, de quorum mentibus presumebamus honesta, hic enim cum damno corporis cruciant nos damna amissæ charitatis. Curt. Jun. p. 4. n. 23. Hic tamen distingvendum puto inter Dominum scientem vulgaritatem harum personarum, & ignorantem; illo modo non excusandus Dominus, dolus enim cum dolo compensatur arg. l. ult. §. pen. τ. de eo, per quem fact. hoc verò meritò privandus feudo. Rittersb. d. l. q. 100.

18. Minimè verò hæc procedunt in famulâ vel Pedisseqvâ Domini, utpote inter quam & Dominum tanta conjunctio non intercedit, ut argumentum à prædictis personis, ad has extendere valeamus. Licet enim Vasallus obligatus sit ad ea facienda, quæ sunt ad honestatem Domini



Domini, 2. F. 7. pr. in f. hoc verò quodammodo in Domini vergat præjudicium, imò injuriam videatur inferre Domino *arg. l. 15. §. 19. de Injur.* non tamen omni ex causâ, ex quâ Domino nascitur præjudicium sive aliqualis injuria, Vasallus venit privandus feudo, *arg. 2. F. 24. §.* Porro *junct. c. odia de R. J. in 6. Schnob. d. Disp. x. §. 15.*

19. Dictum sup. quod Vasallus exercens se cum Domini uxore privetur feudo, hinc *Qv.* an hoc procedat, si cum cæteris allegatis personis sese exerceat? Et dicendum videtur, quod sic (1.) quia una determinatio respiciens plura determinabilia, debeat ea æqualiter determinare *arg. l. 4. C. de Imp. & al. Substit. (2.)* quia Jus Feudale dicit 2. F. 7. pr. in f. Vasallum nunquam ex personâ suâ facere debere aliquid ad Domini & suorum injuriam &c. *Vid. Curt. Jun. p. 4. n. 25. Vult. lib. 1. c. 11. n. 31.* Verùm magis placet in castra contrarium sentientium transire, idque propter textûs nostri dispositionem, qui illa verba ad uxorem tantum refert, quæ si ad reliquas quoque voluisset relata, postposuisset, & non præposuisset.

20. Si v. Filius concubuisse cum tali personâ, Pater Vasallus, qui filium Domino requirente ad eum non deduxit, vel à se separavit, privatur feudo, 2. F. 55. ver. *Insuper.* hâc enim separationis intermissione censetur amicitiam domesticam copulasse cum inimicis Domini, *arg. 2. F. 57.* Est autem in Vasalli electione, utrum filium velit deducere, an verò eum à se separare *d. t. Schepl. d. tr. tit. 7. §. 15.* Idem obtinere puto in reliquis Vasalli domesticis.

21. Colophonis loco addam & hoc: Sicuti Dominus in omnibus iis capitibus, ad quæ Vasallus sese adstrinxit, vicem fidei suo reddere tenetur 2. F. 6. in f. meritò dicendum, & Dominum proprietate privari feudi si concumbat cum fidelis uxore, cæterisque ipsi conjunctis personis, *arg. 2. F. 47. 2. f. 26. §. Domino.* Quod enim statuitur de uno Relatorum, in altero quoque statuendum est, *Dd. ad l. fin. C. de indict. Viduit. toll. Rittersh. p. 2. c. 7. §. 2.* Nihil autem interest, Dominus sit inferior an verò superior, licet enim *Ll* hic quandoque sit solutus, tamen *Ll.* vivere ipsi competit *§. ult. Inst. quib. mod. test. inf. l. 4. C. de Ll.* idque ob contractû feudi ultro citroque obligatoriû *arg. text. 2. F. 37. junct. 2. F. 6. in f.*

MEMBRUM III.

Continens

Laudamentum Feudale.

1. Absolutis Cucurbitationum modis, paucis addam Processum, quomo.

C





quomodo forsan commisso hoc delicto sit procedendum in laudamen-  
to feudali. Hoc verò Judicium constituunt regulariter, ut cætera o-  
mnia, tres personæ: Judex, Actor & Reus *l. 62. de Judic. c. forus x. de  
V. S.* Sed cum pro diversitate casuum & personarum diversus sit Judex,  
si enim inter Convassallos sit, Judex erit competens Dominus, *2. F. 55. §.  
Præterea. fin.* (modò non sit Feudum regale, ubi tantum Imperator erit  
Judex *2. F. 34. pr. N. A. de anno 15 21. tit. Röm. Rön. May. S.* Ob auch Sa-  
chen für fielen. *Ord. Cam. p. 2. tit. 7. ibi: derselben Erkänntiß wollen wir  
der Kayserl. May. vorbehalten haben. Gail. 1. Obs. 1. n. 54. Vid. Sævus  
Exerc. Feud. XII. §. 3.*) si verò inter Dominum & Vasallum, Pares Curtis,  
*1. F. 10. d. §. Præterea. 2. F. 55.* Si igitur Dominus nostro in casu velit  
suam vindicare injuriam, Judices erunt Pares Curtis; qui si e-  
lecti à partibus nolint parere electioni, possunt cogi ad id suspicien-  
dum, partim, quia hoc munus est publicum, *l. 9. π. de Mun. & hon. par-  
tim, quod Jus feudale facultatem judicandi illis deferat. d. text. 2. F. 55.*

2. Actorem hic repræsentat Dominus, qui ob injuriam illatam  
jus suum persequens in judicio, provocat adversarium nempe Vasal-  
lum, actionemq; adversus eum exercet, *arg. l. 13. w. de Jud.* Quia verò  
Dominus non tantum persequi injuriam, sed etiam mediante injuriâ  
Feudum petere videtur, hinc meritò ipsi competit hoc in casu actio  
personalis, Condictio sc. causâ datâ, causâ non secutâ. *per text. 1. F. 21.  
pr.* Datum enim Feudum Vasallo ideò, ut præstet ea, quæ vi Juramen-  
ti promisit; & Dominus præsumitur ideò dare Feudum, ut ipsi fide-  
litatem præstet, & ista sex *in text. 2. F. 6.* tradita semper in memoriâ ha-  
beat. Quid autem magis contra honestatem Domini, quam hoc Vasal-  
li delictum? Cum igitur causa non sequatur, ob quam feudum datum  
est, meritò etiam conceditur Domino condictio. Nec facit, quod Con-  
dictio instituat in Jure Civ. ab eo, qui dominium amiserat, nam  
hoc loco Dominus quidem retinet proprietatem feudi, verum cum  
Vasallo non nudus intelligatur concessus usufructus, sed unâ magna  
dominii directi portio *arg. 2. F. 8. §. Rei autem. ibi: quasi vindicare.*  
Hinc dicendum, quod repetat id, quod concessione Feudi translatum  
in Vasallum; vel potest dici, odio Vasallorum hoc inductum esse, (ad  
modum furtivæ Conditionis, de quâ *vid. Donell. ad §. 14. Inst. de act. n.  
9. p. m. 270.*) & *Kremberg Disp. de Act. Feud. §. 25.*

3. Deniq; accedat Reus oportet, qui provocatur ab actore, ut de  
causa hæc controversâ respondeat, qui Vasallus delinquens est. Uti

autem



autem aliàs varia huic competunt Exceptionum arma, quibus iustus adversarii in ipsum paratos avertere possit *2. F. 43. in m.* Sic maximè procuret hic Actor, ne reum ad incompetens citet forum, coràm incompetente enim litigare, est litigare coram privato *l. ult. w. de Off. Pref. Urb.* item citet ad locum tutum, & intra terminum non angustum *arg. l. 1. w. de Edend.*

4. Et hæc de personis: Jam ad ipsum Iudicium paucis procedendum, cum v. Processus hic in Jure Feud. non sit præscriptus, recurrendum ad Jus civile *2. F. 1. pr. in f.* nisi Statutum provinciale aliud spondeat. *Dn. Struv. S. J. F. c. 16. a. 10.* Actor igitur Dominus ante omnia Reum citet; sicuti enim Citatio est principium & fundamentum iudicii, *§. ult. Inst. de Pœn. tem. lit.* ità & omnis actus iudiciarius, etiam in rebus nonnunquam notoriis, contra non citatum celebratus, regulariter ipso jure nullus est, *arg. l. 4. C. de sent. & interloc. Gail. 1. Obs. 48. n. 2. seq. Zang. de Except. p. 1. c. 2. n. 5.* Offeratur autem libellus hæc Citatione oportet, ut deliberare Reus possit, cederenè velit, an v. contendere, *l. 1. w. de Edend. c. 1. X. de Dilat.*

5. Oblatò libellò, (in quo proponit: *Cajum Vasallum attentasse stuprum uxoris suæ, vel conubuisse cum eadem similivè personâ.*) Vasallus aut comparet, aut non, si non comparet, iterùm vocandus usq; in spatio tertio 7. vel 10. dierum arbitrio ejusdem Curia terminando *per text. 2. F. 22.* Si v. comparet, sequitur litis Contestatio; hic a. Reus aut negat factum, aut confitetur; Si hoc, salva res erit, si v. negat aut res est notoria, & hæc non indiget probatione, *arg. c. manifesta. II. q. 1. Eckbold. ad tit. w. de Probat. §. 4.* aut incerta & occulta, *Schnob. Disp. w. 13. 1b. 18.* & hæc, quia dubia, probanda. Cujus a. erit probare? dico quia per rerum naturam factum negantis nulla est probatio *l. 23. C. de Probat.*: actorem probare teneri; ei enim incumbit probatio qui dicit hoc ità factum esse. *l. 2. w. eod. Wiss. Disp. w. 43. 1b. 6.*

6. Cum v. communiter omnis probatio vel fiat per argumenta, vel Instrumenta, vel per testes, *arg. l. 2. C. de test.* non puto hoc delictum per Instrumentum Seniores probare posse, forsan enim delinquens nullum dare ob brevitatem temporis potuerit, vel si potuerit, noluerit; hinc vel per argumenta, vel per testes ad hoc productos; Non per argumenta *ob text. 2. F. 57. in f. E.* per testes probare tenetur. Requiritur v. hic quia res ardua non, uti in jure communi, vel etiam Feudali in aliis actibus, duo, *per l. 12. w. de test. junct. 1. F. 26. §. si quis & 2. F. 2. pr.*  
sed



155  
sed quinque; summæ atque integræ opinionis testes, *d. text. 2. F. 57. in f. &*  
*hoc de jure Feud. communi, aliud observari statuit Dn. Struv. S. 7. F.*  
*c. 15. a. 15. de Consuetudine.*

7. Adductis testibus aut sunt numero sufficientes, & omni ex-  
ceptione majores, aut non: Si non sunt, quid faciendum? Aut planè  
nihil probat actor, aut probat quidem, sed semiplenè; Hoc casu puto,  
quod juxtà textum J. Feud. 2. F. 57. Reus veniat absolvendus, requiritur  
textus plenam: Nisi dicamus, Reo purgatorium moribus nostris esse  
deferendum. Si nihil probat, reus absolvendus *per text. 2. f. 33. §. ubi ni-*  
*hil.* Nec per Monomachiam rem puto decidendam quâ olim usi sunt  
Germani, præcipuè in Feudalibus, *vid. text. 2. F. 39. §. Non est inf.* Hi namque  
quia milites, militaribus etiam animis putârunt, ob licentiam præfer-  
tim militarem, rem feudalem esse dirimendâ: Nisi hisce observatis (1) si  
adsit autoritas judicialis (2) Impossibilitas probationis. (3) Consuetu-  
do loci accedat; id concedatur. *Remberg. Disp. Feud. de act. Feud. §. 69.*

8. Si igitur probatum fuerit, Feloniam commissam, accedat Ju-  
dicis sententia, quâ statuatur, *Feudum esse Domino tradendum cum omni-*  
*bis fructibus à tempore delicti commissi perceptis sive extantibus sive con-*  
*sumtis.* Habetur enim hic pro m. f. possessore ex eo tempore, ex quo sci-  
vit, Feudum non amplius ad se pertinere. *arg. l. 15. pr. π. Qui est à quib.*  
*man. lib. Dn. Struv. d. c. 15. a. 11. n. 4.* Hanc tandem excipit Executio, nisi  
Appellatio interponatur. *per text. 1. F. 22. §. fin.* Hæc de arduâ hæc mate-  
riâ dixisse pro ingenii modulo sufficient, majora ab iis, qui majori au-  
thoritate pollent, expectabit B. L. Ea verò, quæ jocosè dicta occa-  
sioni per materiam datæ transcribet, in minus aptè prolatis  
humanae recordabitur fragilitatis.

**DEO pro hoc auxilio sit gloria in sempiter-  
terna secula!**






X 2615927


W 07











B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches Centimetres

1676

11  
212

19

2 1/2

CA FEUDALIS

NIA  
TIONIS,

thoritate

Mi<sup>q</sup> FCTORUM

Ordinis,

E

ONSULTISSIMO

ONICOLAO

J.U.D.

Patrono suo debito

venerando

ni exponit

inringk /

O.

DC LXXVI.

oris consuetis.



G.A,

UNDI Ziegenbeins.

